

- 1 Depoe eos proprietate Mathias Creigius.  
 2 Capita Religiosæ Xenæ Grae Joach: Camerang.  
 3 Laus Xpi resurgentis Christopho Pelargg.  
 4 Armon Habraim Barth. Admanny.  
 5 Carmen Hab: Gidem.  
 6 Almg III Carmine Pancratig Crigery.  
 7 Prophetæ Jonas Carmine. Daniel Saxo.  
 8 Ecloga de Xpo triumphante Barth: Bylovis.  
 9 ~~Canonica~~ <sup>Finis spiritus in p[ro]phetis in Cruce.</sup> ~~Monica~~ <sup>Hildegardis in Cruce.</sup>  
 10 Davidis Tropæum Joh: de Cotteritz.  
 11 Davidis triumphus Jan: Henricus Scrotens de Güstrow.  
 12 de Mundi termino Joh: Polidory.  
 13 Ecloga in diem Martini. Abraham: Decelis.  
 14 De Partu Aovitatis Dethlevis Meyery.  
 15 Bernardus de gentiâ Mundi Carmine.  
 16 Joan: Fraxinge Melos. Spangenberg Wefeliny.  
 17 Concordia veriva Albertus Olearig.  
 18 Carminum Joach: Bilschey Liber 1.  
 19 Gregorij Arabicy poemata.  
 20 Gnosticon Joh: Staubij e.  
 21 Oratio Medua Carmine Laur: Homang.  
 22 Alberti bovi Panthelias.  
 23 De Incommodis Senectutis. Erasm: Rotterdam.

Q 3. 105 (1-66)

IOHANNIS FRAXINEI THY-  
ringi Poëta Coronati Melos

In antiquissimæ ac verè Heroicæ  
Nobilitatis SPECVLVM im-  
mortale verè & illustre Opus, *non tam lectu-  
jucundum, quàm utile, & hoc laborioso seculo, ubi omnia  
ruinam minantur valdè necessarium:*

*In potentissimorum Cesarum, Regum, Princi-  
pum, Comitum, Baronum, Auratorum equitum, aliorumque qui vel natali-  
um splendore, vel doctrinâ, vel virtute, vel rebus præclare gestis, sanguine  
& sudore ad nobilitatis apicem erecti, sempiternam decus, ho-  
norem, & ornamentum,*

INDVSTRIA ET LABORE PLVSQVAM HER-  
CVLEO è tribus & sexcentis auctoribus confectum  
& elaboratum, per

*Reuerendum & clarissimum U.*  
M. Cyriacum Spangenbergi-  
um Northusanum, Theologum & Histo-  
ricorum nostro seculo faculè  
principem.

*Omnia (ne dubites) verso ordine diua Iehova  
Spem contra in melius dextera vertet opus.*

M. D. LXXXIX.



COLLEGIUM THEOLOGICUM

in Universitate Lipsiensi

Institutiones in Theologia

Historicae, Philosophicae, Juris

Principales, et in aliis

partibus, quibusdam

etiam in aliis

partibus, quibusdam

etiam in aliis

partibus, quibusdam

etiam in aliis

partibus, quibusdam

etiam in aliis

etiam in aliis

partibus, quibusdam

etiam in aliis

partibus, quibusdam

etiam in aliis

etiam in aliis

partibus, quibusdam

etiam in aliis

M. D. C. C. C. C. C.



# GENERIS SPLEN-

## DOR ET VIRTUTE NO-

bilissimis viris:

IOHANNI ET VOLPRECTO REID-

ESELIIS ab Eisenbacho, Hæreditariis Hafsæ prætorii  
præfectis, Germanis fratribus: suis  
patronis S. D.



*V*arias & discrepanteis admodum inter se  
excelleniorum Poëtarum & vulgi de nobilitate sen-  
tentias, opinionisque esse, cum è carminibus, tum popu-  
li sermone, maxime verò è Satyrâ octava Aquinatis  
Poëta colligimus. Nam illi, ut diviniore ingenij ho-  
mines ex virtute nominis famam, splendoremque verè  
pendere iudicant: hoc verò genus hominum ut minus literarum culturâ  
politum, efformatumque in vana stemmatum ostentatione, imaginum, o-  
pumque magnificentia, et portentoso ædificiorum apparatu nobilitatis am-  
plitudinem sitam esse opinatur. Quæ inquam posterior sententia, ut est na-  
turâ suâ nullis firmis certisque suffulta præsijs, diuque permanentibus:  
ita ab omnibus sana mentis cum Poëtis, tum Philosophis meritò fuit ex-  
plosa atq; rejecta. neque injuriâ. Nam qualis obsecro illa existimatio, ho-  
nosque alicui proprius censendus, cum ille ipse non è virtutum meritis pro-  
prie proficiatur, sed aut majorum gloriâ, aut insolentis fortunæ ludibrio  
inuitatur? taceo illud si malè insuper vivatur, quod sanè genus hominum  
nihil præter colorem simile habet: & fumosarum imaginum, insignium,  
clypeorumve gloriosâ atque fatuâ ostentatione semet fulciendo, omnibus  
deridendum, comedendumq; propinat. Multò rectius illi in nobilium ordi-  
nem, coronamque referendi, qui non modò ex per antiqua, laudatâque ali-  
qua gente ac familiâ, in primis verò ob rerum præclarè gestarum memori-  
am admodum illustri oriundi: sed ut paternorum bonorum hæredes, ita  
gloria se totos ad honestissimarum virtutum exercitationes ablegarunt:  
& quod semper præclarum atque excellens est habitum, elegantioreis lité-  
† ij teras ad-

ras addidicere, atque in hisce studijs ut firmioribus animi praesidijs, ornamentisque contra omnem fortunam inopetantem, atque ludibrium sese sapienter instruxere. Quod & Seneca meo quidem iudicio praclare videtur comprobare, cum ait: Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius. *Experientia* namque verum omnium magistrâ optimâ didicerat vir sapientissimus, illud bonorum genus ceteris duobus, fortuna nempe & corporis praeserendum: quod maxumè aeternitati hominis memoriam consecrat, & sine qua vera nobilitas non consistit. Quare Poëta Iuvenalis non immeritò illos sui seculi homines, ut valde stupidos risu excepit, qui imagines suorum in atrijs exponebant, & nomina familiae longa ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris in parte primaedium suarum ad superbiam, fastumque potius, quam pulcherrimè expressa collocabant, quemadmodum ex Poëta versibus non contemnendis est videre, Sic ille:

Tota licet veteres exornent undique caerae

Atria: nobilitas sola est atque unica virtus.

Nam (ut paullum digrediar) quid externa illa fortunae bona mobilia, opes nempe clientelae, amicitiae, adfinitates, gloria majorum ad veram, immotamque virtutem consequendam conferunt? nonnè incerta & admodum lubrica & quaeque si modò vera fateri volumus, homines plerumque ignavos, effeminatosque reddunt, & ab omni nonnunquam virtute alienos? Non autem veriore potius sententiam sequenti, cum Poëta ita statuamus,

Prima mihi debes animi bona: sanctius haberi

Iustitiaeque tenax, factis, dictisque mereris.

hominumque aliquot nihil à stultis differre, & quidem hac notâ, quod illis marmoreum sit caput, fucatorum autem, qui se alto Drusorum sanguine oriundos Domitiani Imperatoris seculo jactabant, imago, & quidem satis obscura & illaudata videret: Et certè miserorum est aliorum incumbere fama, Ne collapsa ruant subductis tectis columnis: praecipue si mala vivendi consuetudo hisce insuper vicijs accedat: tunc dici non potest, quanto infortunio ejusmodi genus hominum se exponat. Nam dum pro conservatione hujus vitae turpia & nefanda committunt: (ut quosdam, non omnes facere, vel ipsis oculis notamus) causas vivendi amittunt: h. est, bonos mores, bonum nomen & existimationem: quibus ornamentis si homo destituatur, na ille formâ tantum ab usumantioribus belluis poterit dinoscere

dinosci? Quæ præterea res nobilem virum exornent, & conspiciuum red-  
dant, Satyricus decantat, cum præcipit.

Pone iræ frena, modumq;

Pone & avaritiæ, miserere inopum sociorum.

Ossa vides regum vacuis exhausta medullis.

Respice quid moneant leges, quid curia mandet.

Præmia quanta bonos maneant.

Quandoquidem nihil homines nobiles tantopere obscurat, ac avari-  
tia, ira, & libido. Potius in leges erat respiciendum, quid moneant, alias  
si saluberrima viuendi præcepta negligentur, & quilibet suis inserviens  
commodis, sui que amore nimium excacatus, male vixerit: tum majorum  
nobilitas plus alicui obfuerit, quã proderit:

Incipit ipsorum, inquit, contra te stare parentum

Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.

Omne animi vitium tantò conspectius in se

Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

Nam ut Salustius eandem ferè in sententiam scribit.

Maiorum gloria posteris lumen est: neque mala eorum in  
occulto patitur. Atque ista, quæ hætenus enumerata

V. nobilissimi non eo consilio à me proferuntur, quasi quæ magna ex  
parte sunt difficilia, & simul acutè in Philosophorum Academijs disputa-  
ta, in vobis desiderarem: aut illustria nobilitatis vestigia & decora vir-  
tutum in gente vestra elucere negarem. Absit hæc nefaria suspicio. Quis  
enim vobis Reideselji generis amplitudinè, existimationem, virtutumque  
ornatum, quem summa cum laude hætenus possedistis, & adhuc obtine-  
tis, derogaturus & detracturus? cum longè lateque familia gentisque  
vestræ ornamenta, opumque splendor cum dignitate conjunctus, multos  
ante annos domi, & in bello inclaruerint? & eam ob causam, cum illu-  
stris domus virtus sit nota, verè nobiles vocemini? Atque ut jam proa-  
vos, & vosq; vestros taceam, præcipua certè quàm plurimarum virtutum  
ornamenta & lumina in Hermanno ADOLPHO gentili & patruo  
vestro animadvertimus, & conspeximus, Quo inquam viro candidior  
apertiorque (absit verbo invidia) nemo: in dijudicandis explicandisque  
Sacrarum literarum causis, controversisque hoc nostro tempore exortis,  
agitatissimè acutior, & solertior habitus: nemo illo in defendendâ tuen-  
daque putâ pura religione contra Pontificiorum & quidem Principum

A iij      insacrâ

in sacra scriptura infulaque bicorni incedentium vellicationes, contumelias, & calumnias, repertus est exercitator, constantior, atque peritior. Sacrarum n. literarum fundamenta exacte noverat: & cotidie legendo, conferendoq. cum doctissimis clarissimisque viris, qui salutandi, videndique hunc quasi alterum quendam Mæcenatem gratiâ accedebant, se etiam exercebat diligentissime: Bibliothecam, ut notum, habebat instructam quàm optimè: quin & inter cenandum, prandendumque ab optimorum auctorum Theologorum, Poëtarum, Historicorumque lectione, sibi non temperabat: his se non minus ac Iovis aliquo epulo magnifico apparatu pro tempore instructo, reficiebat, & sapientiæ famem, sitimque quâ premebatur unice, explebat, & sedabat. Quod si fortè docti ad eum venirent, hos admodum humaniter excipiebat: cumque his de gravissimis religionis capitibus non minus purè, quàm argutè sermonem instituebat: ad Bibliothecas in vicinis locis aditum, viamque demonstrabat: ipsi secum hospites adducebat: literis commendatiivis præbatur, & liberalitatibus quoque signa in vetustissima monumenta investigantes conferebat. Certe ipse, qui sæpius cum tanto viro sui, summam animi in Deum pietatem, verbi divini, quod unum prosequeretur præ cæteris, amorem, præstantissimarum rerum usum, & incredibilem sapientiam, nunquam satis admirari poteram. Dignus sanè vir, & præclarè de elegantioribus literis meritus, cujus vita vel gravi carmine, vel oratione illustraretur. Nolo jam de EBERHARDO à Thann, principe & incomparabili viro, excellentium inquam donorum, quæ in hujus animo eluxere, commendationem instituerè: cum etiamnum apud bonos magni hujus viri illustra virtutum monumenta existant, & in ore memoriaq. adhuc circumferantur. Immortalia dico beneficia atq. merita non tam in provincia nostra Ecclesiasticas, quàm in illustrib. Principum, Ducum Saxonix aulam exhibita, summaque fide & integritate præstita, locupletissimum de mortuo adhuc dant testimonium. Taceo jam, quod cum prudentissimo clarissimoque viro Doctore PETRO BREMOS. m. non minus in sacris literis, patrum monumentis, & R. P. D. MARTINI LUTHERI Tomis supra fidem versato, quàm in jure Civili, definiendis gravissimis negotiis, & inextricabilibus disceptationibus enodandis, solvendisque ad stuporem admirationemq. usque exercitato, primariam in aula vocem, curam, & occupationum molem sustineret: ipsamque aded administrationis provinciam aliquoties nutantem humeris suis velut alter Atlas exciperet: labantem succiret, er-



ciret, ornaret, & amplificaret. Erat & hoc candidum, & propè divinum  
celsioris naturæ argumentum, quod illos præcipuè constantes Theologos  
summo amore & honore prosequeretur, hosque plus oculis suis amaret,  
quorum excelsum animi impetum, alacritatem, spiritumque in Apostatis,  
Ecebolis, Augustanae Sphingis fabricatoribus, profuga Strigis colluvione,  
Capri molitione, pontificiâ Majoris justitia, & Berengari secta amplissi-  
ma refellenda, & ex vineâ agroque Domini profliganda, periculosissimo  
illo tempore, quo omnia ruinam, extremaq; fata minarentur, & præcipua  
Ecclesiarum lumina in Panicum terrorem metumque conjecta labasce-  
rent, iam dudum explorârat, in delitijs haberet, & velut patriæ, religionis-  
que ( ut ita loquar ) post Deum Opt. max. servatores agnosceret. verum  
de hisce immortalibus viris huberius dicendi aliquandò locus dabitur.  
Ad vos nunc potissimum orationem converto: vosque ambo optumo jure  
nobilitatis dignitatem possidere, & quidem cum laude adfirmo. Uterq;  
ex unâ eademque familia ac gente tum ad primis nobili, cum vetusta pro-  
creatus: quodque singularis felicitatis signum habetur, illud quoq; orna-  
mentum ad vestrâ gentem accessit, quod præ ceteris in Cattorum pro-  
vincia nobilibus hæreditario jure prætorij dicamini præfecti. Addo &  
illud omnium maximum, quod purioris religionis, literarumque lumen cû  
familiæ splendore & celebritate conjunxeritis: neque contemnendos in  
Musarum castris, virtutumque exercitationibus consequuti estis pro-  
gressus. Atqui hæ ipsæ, quas modò enumeravi, virtutes, nisi à literis, vi-  
tam, spiritumque accipiant, admodum obscuræ, & q. sepultæ jacent, quem-  
admodum cum majoribus olim nostris factum esse constat. Nam cû illi  
nullos planè suarum rerum gestarum haberent præcones, unâ cum victo-  
rijs sempiterna horum facta intermorta, cumque ipsis corporibus contu-  
mulata conticuere. Deërant n. illis viri, qui immortalia horum facta &  
nomina scriptis illustrarent: deërant inquam viri, nostris majoribus, qui  
perpetuam rerum gestarum historiam complecterentur, & harum causas  
explicarent: virtutum exempla annotarent, quæque in belli ductoribus  
maximè ornanda, celebrandaque essent ornamenta, adductis rationibus  
comprobarent. Quanto autem fortunatior equestris, nobiliumque ordo  
in posterum futurus, cûm talem tantumque in vicinia scriptorem nacti  
sitis, qui nobilem valde nobilitatis historiam complexus, & à primis ini-  
tijs regiam ac vere Casaream illam viraginem, quam nobilitatem ap-  
pellamus, usque ad masculam vernamque ætatem in immortalis suo opere,  
cui SP E-

cui **SPECVLVM** nobilitatis fecit, perduxerit: Immo quod de tota Germania præclare meruerit: dum sempiternum quoddam gloria simulacrum è tot varijs & quidem tribus & sexcentis auctoribus labore plusquam Herculeo concinnauit, duobusque voluminibus materiam hanc late patentem, compræhendit. Cujus sanè operis fundamenta quibusdam clarissimis viris, & quidem vestri ordinis monstrata, incredibileis sui amores excitarunt, & ut tam egregium & immortale opus ad vmbilicum perduceret, hortatores fuere. Omnium verò commune de Spangenbergio fuit iudicium: nullum magis idoneum, ad exornandam, commendandamque ordinis equestris celsitatem inueniri potuisse: cum & antea in grauioribus argumentis immortalis sui ingenij vim exercuisset, & periculum fecisset, licet & alij minores historici nomen sibi arrogarent, at qua laude quoque genio dignum opus prælitere? Illorum inquam de numero, quibus hoc opus transmissum, exstitere **CRAILSHEIMERI. L. Franci, milites, SEBASTIANVS, IOHANNES, & ALBERTVS** germani fratres viri nobilissimi, & grauissimi. Hi gentis suæ ornamenta, quantum in ipsis fuit, curarunt, ut aliquot nobilium præcipuarumque familiarum notationes, & insignia haberet operis auctor. Ego quoque cum historici nostri & popularis indefessos labores coram inspicerem, obseruaremque, me continere non potui: quin Odam in Germanica nobilitatis laudem adornarem, quam ex ipsius rei natura pauld accuratius inspecta appensaque, desumpta pro vestra & sapientia facile intelligetis. Deinde cum iudicarem ad Odam nostram illustrandam plurimum allaturum lucis præclarum quoddam de nobilitatis imagine viciniore patrie in loco paucos annos à multis spectata fidei hominibus ostensa monumentum: quale hoc fuerit, producam. Constat n. ex vetustissimis monumentis, nostros majores Germanos hunc morem, consuetudinemque coluisse, ut si abstrusorem quampiam rem, doctrinamve à maioribus accepissent, hanc poetiis veluti numeris, figmentis, & rythmis, (artificum cantiones has appellabant) ad decantandam in conuiujs concluderent, quorum exigua tamen pars ad posteritatem transmissa: pars quedam in summorum virorum, quales D. Unico à Manhiga, & Casparus à Nidbruck Cas. Majest. quondam consiliarij fuere, bibliothecis adseruatur. Hæc autem nobilitatis statua vel imago patrum nostrorum memoria ad Nefsum locata in loco quodam, cuius ne rudera amplius videntur, talis fuit. Nobilitatem ceu masculam quandam viraginem sculptor finxerat, aureo ser,

aureo sero siue diademate exornatam. Cujus capiti sacrosancta Trinitas videbatur incumbere. Trinitas autem manum habens extensam, apertamque, quasi munuscula, vel penas immisura, consilia virgini subministrare, simulque enses fascisque procul ostentare, pænarum, iustitiæque administrande indicia, erat in diviniore Maiestate videre. Puellæ quoque fulgentes & pellucidi erant oculi, ad ipsum Dei nutum compositi, aciemque rectâ retorquentes. Quorum unus videlicet dexter præclaro sculptoris artificio & opere ad Sacrosancta volumina Biblia vocata: alter ad fascis, ensesque latè fulminantem, & librum politicas leges antiquâ liturâ exaratas, quarum hæc summa erat, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, continentem, erat conversus: & grandiusculæ literæ hanc aui eâ sententiam exprimebant, Deum præ omnibus dilige, huicque te, tuaque committe: quam duplex G. in nostra vernacula h. est Deus dat in apice veluti positum includebat. Dextrum autem latus individua veluti comes, fides, laevum autem constantia fidiſſimo q. præsidio claudelant. Quod ad totius corporis decentem & peraptam compositionem attinet, erat illud pulcherrimum: concinna membrorum collocatio, & figura: validum vegetumque è parium nexu, & conformatione robur animadvertebatur. In facie siue voltu, quod & memorabile, interfusas quasdam maculas, notasque ex sanguine illitas habebat: Capilli erant promissi, & à vertice ad humeros usque propendentes. Pone constantiam virginem ad laevâ constitutam, luculentæ cujusdam matronæ forma oculis erat vix cognoscenda, peramplo & capaciори mar supio siue crumena instructa: in quâ divitiæ, honores, opes, omnisque generis fortuna bona continebantur: quæ donaria nobilis illa virago, duos q. digitos ad vaginam applicans, gladiumque extrahere moliens, forti & excelso animo contemnere, teruncium vel assem accipere recusabat, indicemq. digitum versus sacrosanctam Trinitatem tollens, se totam illi concedere, huiusque opem, custodiamque expectare. Quod ad manus attinet, equidem visu notari non poterant: sed sub armillis latentes, & veluti complicatæ gladium observabant, non lateri alligatum: verum pendulum, & à ministro Trinitatis absconditum, ad servatumque probè, ne vel ad sinistram vel dextram gladius iste anceps moveretur. Quamcumque n. in partem angelus gladium vibrabat, illico manebat, hærebatque sanguinem stillando. A tergo puellæ infinitus propemodum Spirituum numerus catervatim obvolitabat, quorum omnium unum, idemque studium, laborque aureæ coronæ, quam divina manus super Deæ

A a caput

caput extulit, insidias moliri, vellicare, & attrectare: neque fascibus  
radiantibus, vibrantique gladio à regia sellâ prodeuntibus, si modo vim  
aliquam inferre licuisset, parcere. Hæc verò ut diviniore Majestatis signa  
& decora ultionis sublimiorem in locum erant submota, ne à spectris, um-  
bris, lemuriisque vel morsibus vel anguibus immaniorum belluarum  
volucrumque isthæc infestantibus deriperentur, sicque in hostium manus  
devenirent. Ad dextram virginis auriculam bonus veluti, & quidem ha-  
bitu diviniore & ore Spiritus bona consilia, sensa atque cogitata sugges-  
endo: ad sinistram malus, versipellis & versicolor in specie cataphracti ini-  
quissima & venenata inspirando, sufflandoque consilia obequitabat: quem  
à sinistra parte lepidissimi pueri, elegantioris formæ, dignitatisque mani-  
bus repellere, inque fugam convertere, ut publicum quendam hostem vi-  
raginis infestando, conabantur. Habebat & nympha ista Casarea in con-  
spectu ante se exercituum è diversis populis gentisque collectum, cui dux  
unus truculentâ admodum facie, minacique voltu cruentum gladium di-  
stringens præerat: inque generosam virginem iruere, illique extrema que-  
que minari, ni voluntati, libidini que suæ, eadem sanguinemque sitienti pa-  
rere & obsequi velit. Huic oppositus alius quispiam caelestium copiarum  
ductor ad virginem se propius lento gradu admovebat: suasque cicatri-  
ces, vulnerum notas, & vestigia, que in virginis amorem acceperat plu-  
rima, ostentando, hilari voltu incedebat, & triumphantis instar bellato-  
ris exsultabat. Erant quoque ad militaris Deæ sinistram pedem varia  
monstra & portenta effigiata: qualia Centaurorum, Scyllæ, & Hæpyia-  
rum & similia, à Poëtis in metum, terroremque improborum hominum  
excogitata. Pone dextrum pedem, amœnissimus locus, omnis generis vo-  
luptatibus, rosis, lilijs, alijsque odoratis herbis & flosculis campus veluti  
consitus, eleganti sanè opere & artificio adornatus. Tandem ad statuam  
imaginis que basin duæ Columnæ è coëtili lapide, figuræ quadratæ, & varijs  
ferarum expresso imaginibus positæ, quibus ista militaris simul & togata  
Dea pedibus innixa insistebat. Atque tantum de nobilitatis statuâ ad  
Nessum quondam erecta, & in precio habita dicere volui. Cujus abstru-  
siorem, magisque reconditam significationem politico homini h. est divi-  
nis, humanis que exercitato facile est invenire. Quam tamen altius inve-  
stigandam, expendendamque unicuique homini docto volens, libensque  
permitto. Mihi jam satis erat Germanicæ hoc nobilitatis monumentum,  
primis saltem lineamentis adumbrasse, non plenu, ut æquom erat, per-  
polivisse:

polivisse: cum alio in foro materia ista sit latius evolventa. Nunc coronidis vice de tabula, signoque, quod superioribus annis circa Nessum ad duos feré lapides à patria, cum pontificia adhuc colluvies & superstitione passim dominaretur, erectum, positumque fuit, paucis subiiciam. Quod inquam monumentum sive temporis injuriâ aut hominum incuriâ, ut potius reor, alio tralatam, & quidem muro inclusam, ex hominum conspectu semotum nusquam apparet. Res autem sic se habet. Circa fanum istud, in quo Germanicæ libertatis, nobilitatisque statua erat collocata: Thuringus nobilis, cathaphractus certo quodam tempore, ante Solis exortum, aliquoties obequitare solitus, phaleris, gladio, thorace, lorica, galeâ, atque hastâ quam pulcherrimè ornatus, missans interim canente sacrificulo in sacello feudum uti vocant, Solare accipiebat, cujus equidem solennis ritus nullum exemplum me legisse memini: jam abolitus ille mos, & unâ cum antiquissimo nobilitatis, libertatisque monumento sacellum demolitum est, neque amplius exstat. Homines autem istius loci, quales habentur Iustus Uuangenheimensis antiquissima familia istius caput & quidem senior, & D. Iohannes Zinzerlingus pastor Ecclesiæ Uuangenheimensis, vir septuagenarius, locupletiss: testes perhibent, se à majoribus accepisse, non procul à nobili statuâ libertatis, D. Christophori imaginem fuisse expositam, cum hac inscriptione. S. Christophorus hujus libertatis adsertor: juxta quem mensam ob longiorem dispositam, & è regione cum virtutum, tum singulorum viciorum imagines artificiose depictas. In medio xij. viros adseffores nobili familia, multo rerum usu, & legum civilium haud ignaros intra cancellos coarctatos, illustrium more virorum ad tabulam confedissee, sub dio iudicium exercentes: horumque omnium oculos & ora in libertatis signum conversa: in primis ensem è sacrosanctæ Majestatis throno prodeuntem attentis, defixis que oculis observatum fuisse ab illis, qui ad sententiam dicendam vocati, atque ordinati fuere. Hac pictura sine dubio admonitos fuisse credo adseffores, ut expensa officij sui gravitate nihil præter jus & æquum dicerent, maxime verò, cum & illustris quædam femina de qua supra audivimus, propositis amplissimis munusculis, donisque aureis & argenteis corrumpere, inque suam sententiam pertrahere iudices moliebatur. Verùm tribus ne id facerent, à nefario scelere captandi, venandique aureos lepusculos, verbis prohibuit: nempe Respiice in DEVM: permane in officio, & in legibus tam divinis, quam humanis adquiesce. Quarum vocum hanc sententiam fuisse colligimus: De-

A a ij

mus: De-

mus: Deum solum, iustitiamque in ferenda graviore sententia, ubi de ca-  
pitate, honore, fama, existimatione, & fortunis agitur, respiciendum, stan-  
dum in proposito, neque vel latum unguem, vel ad sinistram siue dextram  
deflectendum: Deo tandem eventum exitumque committendum. Hac  
omnia de quibus disserui hactenus, uti spero, non sine fructu lectorum à  
majoribus sanctè fuisse animadversa, & peculiare libertatis signum de-  
notasse, eundemque ritum & ceremonias nobiles quosdam Thuringiæ, in  
accipiendis feudis, non à provincialibus Comitibus, alijsve imperij pro-  
ceribus, ut nunc consuetudo invaluit, sed ab ipso Deo opt. ter max. aucto-  
re, cuius vicem gessere Sacerdotes, observasse, manifestum est. Atque  
hinc factum arbitror, quod in vetustissimis quibusdam manuscriptis li-  
bris, literisque invenitur, per ampla quorundam in familia VVAN-  
GENHEIMENSIVM nunc Nobilium, & quidam Equitum  
Auratorum inscriptio, Nos Dei gratia ERHARDVS, Fridericus, &  
Bernhardus de VVangenheim. Quomodo verò, & quibus de causis hæc  
dignitas amissa, chronica quædam vetusta lectorem admonere poterant, &  
daturus est, hoc suo opere Historico, M. Quirinus Byssander, Reipublicæ Ise-  
nacensis V. consularis, & antiquitatum studiosissimus. Sed longius, quam  
volebam inter meditandum excurri. VOBIS autem nobilissimi Viri  
Odam nostram nobilem & hanc qualemcunque historiam ex probæ fidei,  
& doctrinæ, & usu periti viri narratione, excerptam dedico & conse-  
cro, cum quod maximarum rerum cognitionem, sapientiam, usumque ge-  
neris vestri splendori & dignitati adjecistis, tum ejusmodi lucubrationes  
diligenter evolvatis, quæ præcipuum in vita humana usum habent. Mit-  
to & hoc commune cum alijs, quod & vos non solum commemoratio ad  
speciem, amoremque quemdam immortalitatis rapiat: sed & absque omni  
dubitatione cupiditas & ardor vestros animos occæperit: ut vel auctori-  
tate, vel judicio elegantissimæ nobilissimæque artis, qualis poësis, regia pro-  
fecto disciplina habetur, perfrui velitis. Postremò V. N. vos oro, immò  
rogatos volo, ut in Theologum, Historicumque excellentem, jam vetera-  
num atq; emeritum, vestræ quoque pietatis, humanitatis, & debitæ grati-  
tudinis signa atque officia declaretis & exhibeatis, pro quibus Dei opt.  
ter max. benevolentiam, amoremque certò vobis polliceamini. Benè va-  
lete viri nobilissimi: meq; amate. Salutem & vobis D. Sebastiani Steino-  
dorferi Jurisconsulti C. L. vestri hospitis, verbis & nomine inscribo. Licet  
rum valete.

Data Idibus Maij, Anno C. N. 1589. Iena.

V. N. Col.

Fraxineus.

# HEINRICO ECHZELIO

Selevciæ in Fagis Prætori, viro ornatiss.  
& humanissimo S. D.



*Vm tecum ad vitreum Poëta Fuldam  
Essem Prætor amice, vir colende,  
De rebus gravibus, sacrisque multum  
Inter nos agitatum, & explicata  
Sunt Antistite ab incluto notanda.*

*Mota & quæstio, nobiles vocandi  
Qui nam sint meritò hoc ruente seculo  
Prorsum in deterius, relatum abundè,  
Virtutem generare solam honestos  
Laudatosque viros, choro annuente  
Vatum Piërio, & philosophorum.  
At noster sacer addidit Sacerdos  
Hunc demum benè nobilem vocandum,  
Quem diuina manus favente caelo  
In summum extulerit decus, fidemque  
Adspiraverit auream, & notârit  
Divo sanguine pectus hujus inum.  
Nam quis nobilior Deo, ac Iehovâ  
Christo? lumine quippe sempiterno  
Ante exordia procreatus orbis?  
Nemo augustior hoc: futurus isto  
Nemo celsior, & satu eminenti*

*Aa iij      Simora*

*Si mortalem hominem notas, I H E S V M.  
Quin & diua caro unione firma  
Personæ ad sociata præpotenti,  
Majestæte pari suo parenti.  
Si quem nobilis iste verè ab alto  
Clarum reddiderit cruore diuo  
Ablutum, scelerum integrum, vocandus  
Est hic nobilis, inter & relatus  
Vixet calicolas, futurus heres.  
Abs hac altera dignitas merètur  
Laudem, si benè quis politus inquam  
Sanctis moribus, integrâ fideque,  
Sublimi ingenio, eruditione clarus,  
Talem carmine Martialis ille  
Poscit, ridet & insolentem a vorum  
Iactantem titulos superbiorum,  
Magnas divitias, manusque servas.  
Sed vilem in populo, nihil scientem.  
Et me iudice verius Poëta,  
Haud Callistratum honore censet esse  
Dignum, pernegat atque habere nomen.  
Et sententia maxumè hæc probatur.  
Quamquam hoc rectius indicabit Oda,  
Decerpta ex Academijs sophorum,  
Et vatum ingenio politiorum,  
Quos mirata velut suos Prophetas*

*Gens igna*



Gens ignara Dei extulit per amplè,  
Sunt & qui referant a vos, suamque  
Majorum seriem, ordinesque equestres,  
Verùm quilibet esse quod superbus  
Hic jactat, poterit suapte vitâ  
Sive is de medio rudis popelli,  
Quare cùm probitas, sagaxq; mentis  
Solum industria nobilem creare  
Dicantur, meritò osculemur ista  
Vatum emblemata, flosculosque rerum,  
Nunc Heinrice meas domo Camenas  
Per noctem excipito labore fessas.  
Et si non grave, nec tibi molestum  
Germanis animis, domo creatis  
Verè nobilium offeras legendos,  
Quos transmittimus hos sacros libellos.  
Vnâ nobilitate cùm pudicâ,  
Illustri, eximia, inclutaque nymphâ,  
Nosti tempora, cùm dies sereni,  
Et fulget placido, suoque voltu  
Phæbus civibus, exhibère vellem.  
Quod si rusticus invidus, cathedra  
Qui se jactat in ardua, trimestris  
Quadrimusve vel ille Vatum acutus  
Censor, dente momorderit Camenas,  
Tu defende, Heliconæ profer ipsum

Instrua

In strumam, arma acuas, tuere vatem.  
Sunt vires animi tibi, & facultas  
Non desit citharam increpandi acutam.  
Bacchantum interea magister ille  
Ritus texat, & ordinet boantes:  
Me vero iuvat elegantioreis  
Vatum audire choros, lyrâque castâ  
Carmen ludere maxumo IEHOVÆ.  
Salve HEINRICE pererudite, legum  
Antistes sacer, atque Prætor idem.  
Et salvere FIDELIorem  
Verbis CHRISTOPHORVM meis jubeto:  
Atque hujus socerum Theologorum  
Lumen, discipulum canori OLORIS  
Ad ripam Albidos inclutam, sepulti.  
Ut vivam, referet sacrarum alumnus  
Musarum Strophius, Valeto Prætor,  
Vualdpurgimque jube optumè valere.

XIIII. Cal. Iunij. Anno C. N.

CIO. IC. XIC.

T. Fraxineus,

MELOS ALCAICVM  
IN SPECVLVM NO-  
BILITATIS: DVOBVS VO-  
LVMINIBVS COMPRAEHENSVM  
ET CONCINNATVM.



*R*tum unde verum nobilitas trahat  
Augusta patrum, & gentis honoribus

*Illustrior, virtute partaque*

*Ipsa sua propria, MAGISTRI*

*En SPANGENBERGI plenum opus alee  
Laboriosae, & per vigilis manus*

*Pulchrè exhibebit, par daturus*

*Nemo, vel historiam secundam.*

*Et Momus ipsum (si modo viveret)*

*Certaret hocce extollere opus novum,*

*Elaboratum diligenti*

*Ordine, compositumque ab arte.*

*Tu Christe paucis jam mihi ludere*

*Da lucubrantis de studijs viri:*

*Et vera quidnam, quae vocanda*

*Nobilitas sit, & aestimanda.*

*Opiniones non ego persequar:*

*Causas at ipsas inspiciam, & modos,*

**B**

*Ludosque*

Ludosque in effictâ puellâ  
Nobilitatis, ab hacce sumam  
Poëta ( ut æquom ) principium, & canam,  
Quisnam vetustum nobilium ordinem  
Sanci verit, quæ dignitatis  
Sint decora, alta, equitumq; honores.  
Ut jacta cœli immensa palatia,  
Circumque tellurem Oceanus vagus  
Latè ambiens clausit, peracta  
Cunctaque magnifico à lehovâ:  
Tunc diua Majestas solio extulit  
Effulta gemmato, dea crinibus  
Comtis ab auro, seque celi  
Culmine terrifico locavit.  
Circum hanc sereno par reverentia  
Voltu, ac se vero lumine detonans  
Bellona sedem unâ occupârunt  
Imperii validi ministra.  
Supra hasce pendebant nitide Indicis  
Gemmis corona, palmaque, & undique  
Parti triumphi, quos Dracone  
Surpuerat Dea subjugato,  
Illo inquam Auerni principe livido:  
Quem cæca regnandi rapuit sitis,  
Mortalium primumque florem  
Subruerat scelerum magister.

Has for

Has fortitudo, ac iustitia ardua  
Vallo obsidebant diuæ Adamantino,  
Et quæ remotas Solis arces  
Gloria transvolitavit ingens.

Has pone libertas Dea nobilis  
Ditata censu, ac compede libera  
Stabat decenti pallâ, atque amictu  
Teutonico veteri recincta.

Pax blanda, concors gratia, amorque erant  
Vnâ in verendo concilio, heic loqui  
Exorsa Majestas, decentem  
Efficiamus ait ministram.

Huic donum amoris perpetuum offeram:  
Alumna seruet fulminis alitem  
Rostrum timendam, dissecantem  
Nubila non remorante pennâ.

Hæc Nympha commissum imperium ultimis  
Extendat oris, fronte hilari, ac graui,  
Et quæva ab armis, purpurâque  
Militiam tolerare discat.

Exinde honori connubio sacro  
Addicta Virtus, purpureis genis  
Pudica virgo, cui corolla  
Chrysolito, atque Adamante ferta.

Iam facta virtus mater, & è viro  
Conceperat, jam enixa puellulam

B ij

Ore elea

Ore eleganti, Symmetroque  
Corpore, tum validis lacertis.  
Nutrix alumnam Sobrietas sinu,  
Et docta Musarum excipiens Charis  
Mirata, tellus risit, horto  
Purpuream violam explicando.  
Iam grandiore præter & omnium  
Spem pervenustam, moribus & probis  
Nympham educatam præpotentis  
Iussit ad imperium I E H O V Æ  
Ad stare sellam pone Adamantinam,  
Vnamque semet fortiter insequi:  
Regina cum sit sola, totumq;  
Armipotens moderetur orbem.  
Et dixit, en te masculus impetus,  
Prudentiæ flos, & sapientiæ,  
Et fortitudo, belli amorque  
Ceu Dominam comitentur unam.  
Armata semper stes, generosior  
Eluceat voltu, ore, oculis tuis  
Vis, dignitas, constantia, atq;  
Gloria, te genetrixque virtus  
Exsuscitent ad grandia, sæpius  
Facta ipsa majorum ante oculos volent  
Illustriora, ut laudem opimam,  
Perpetuosque feras honores.

Seneca

Seu rebus ipsis præficiam sacris  
Te, publico vel constituam foro  
    Causam explicando, jura dando,  
    Consiliisque inopes levando.

Quòd si tumultus, bellicus aut furor  
In regno obortus, tum galeam indue  
    Ensemque, leveis ocreasque,  
    Spicula corripito, atque clavam.

Tu dux in armis celsior omnibus  
Ante ibis, auro ornataque pulchrior:  
    Gemmisque fulgebis, severa  
    Hostibus incuties pavorem.

Te circa aduncis murmura cornibus,  
Tubaque clangor, te litui strepant:  
    Et fulgor armorum fugaceis  
    Sternat equos: tibi turpe semper

Sit terga turpi mittere vab fuga:  
Quamquam indecoro pulvere vixeris,  
    Vivam reportatura laudem,  
    Et tua facta mori vetabo.

Nil fœdus Orcus, nil validus Draco  
Contra expeditam te poterit mali,  
    Vel totus adductis tyrannis  
    Orbis, & imperium movére.

B iij   Volter

*Volu timendo fortis, & impigra  
Terrebis hostes, si pietas comes,  
Precesque castæ prosequantur  
Ominibus, lacrumisque sanctis.  
Optatiorem religio exitum  
Datura, si isthanc præsidium velut  
Adhibitura, eundo contra Averni  
Insidias, furiasque mundi.  
Adsveta curis Martis onus grave  
Haud non molestè exercita perferes  
Tu prima in hostes irruendo,  
Quemque metes metuenda telo.  
Nam bellicosam te Dominam adsero:  
Non luxu inerti, aut diffluere ocio:  
Tu pro puellis, proque castis  
Excipies nuribus tumultum.  
Castrisque vivas sobria, & abstinens  
Injuriarum: dona nocentium  
Abs te movebis, per catervos  
Fas gladium explicuisse apertos.  
Duramque discas pauperiem pati,  
Gentis saluti prospicias: cave  
Ne damna fiant, publicamque  
Imperium capiat ruinam,  
Quod si evocata ad dura pericula,  
Adversa numquam te quatient: dabo*

*Victorias*



Victorias, laurosque, mille  
Te comitetur bonos triumphis.

Privata quod si vixeris in domo,  
Urgeto non altum, aut nimium preme  
Littus: procellas extimescens,  
Eligito mediocritatem.

Contenta vi vas & patrimonio,  
Quod possidendum militiæ labor,  
Partusque census, si ve honores  
Cæsaris, atque favor daturus.

Obscura nec te detineat domi  
Vita ulla, quæ sit prorsus inutilis:  
Sed temet exercendo honesta,  
Mente domi meditare celsa.

Tuto in recessu dia volumina  
Versato, Phœbi quandò oritur jubar:  
In vota matutina casta  
Præsidium expetito Iebovam.

Collapsa quod si templa refeceris,  
Et comparatis censibus auxeris:  
Divino honori consecrando,  
Feceris egregie atq; honeste.

Placatum habebis numen in omnibus:  
Casura vota ad nutum: & in omnibus  
Eventa, successumque faustum  
Experièrè favente cælo.

Versanda

*Verfanda quod si mente negocia,  
Responsa vel sunt danda clientibus,  
Mitem explicato frontem: honestum  
Praefer, & utile comprobato.*

*Sit veritatis cura per omnia:*

*Hac una te ceu vestiat Hesperus:*

*Mendacium absit, vanitasque,  
Ambitio, leuitasque morum.*

*Vindex avaram sperne Cupidinem*

*Auri: maneto persimilis tibi:*

*Dicenda quod si jura, magna  
Res sapienter & eloquenda.*

*Tu dona voltu rei ipe potentium*

*Nocentiorum: cura pecunia*

*Sit nulla, prudens, & secundis  
Temporibus, dubijsque recta.*

*Te fortitudo vellicet incluta:*

*Ad res gerendas magnanimam excitet:*

*Pejusque vitabis timendo  
Flagitium, opprobriumque letho.*

*Si nata lecto pignora nobili,*

*Fortium creata aut corpora fortibus,*

*Fac educentur quam modeste,  
Quam graviter, simul atque sancte.*

*Doctrina nam vim promovet inclutam:*

*Rectique cultus pectora corrigunt:*

*Doctrina*

Doctrina sic multos in aulis  
Extulit, & decoravit amplis  
Hos antè versatos benè pulvere  
Donis potentum ac muneribus ducum,  
Illustriores reddiditque  
Artibus ingenium expositum.  
Hos purpuratos inter & ordines  
Sapè accubanteis vidimus, & suæ  
Laudem arrogârunt sempiternam  
Genti, hominum ac retulère voces.  
Contende ut augustam sapientia  
Arcem petendo, præsidium apparas  
Mæstis reis, respondeasque  
Moribus eximijs, superno  
Ad quod creata olim generi tuo,  
Cum nondum Adamus lumine ab aureo  
Descisceret, perjurus hostis  
Factus, & opprobrium Iehovæ.  
Ut pulchritudo præta virentia  
Florum ornat, ut formosior Hesperus  
Commendat arcem luce amicâ:  
Sic quoque tu decori futura es.  
Quocumque vires tempore, vel loco:  
Extendet & se gloria in angulos  
Orbis, triumphis, tyrannis  
Imperij edomitæ paterni.

C In pa.

In pace constans, propositi & tenax,  
Et iusta persta: voltus amabilis  
Eluceat, morum elegansque  
Corporis, atque habitus venustus.  
Exempla matris semper in omnibus  
Praeferto: discant hac eadem insequi  
Nati ore, voltu, moribusque  
Te referant genitricem honestis.  
Formandus interdum asperioribus  
Horum excitatus masculus impetus.  
Radenda sunt prima iuventutem  
Prava elementa, Cupidinesque  
Nam dona amori, turpibus aut jocos,  
Fastidioso aut corpora luxui  
Vab mancuparunt, ceu videre est  
Tempore difficili, ac senili.  
Fœcunda culpæ secula cernimus,  
Pejorque avorum progenies venit:  
Non sancta disciplina, cultus  
Exfulat omnis honestus, omnis  
Nunc turpitude, & summa licentia  
Morum undequaque est omnibus angulis,  
Tâm summa regum præpotentum  
Atria, marmoreosque postes  
Invasit, ac quam limina pauperum  
Fumosa, sed te divitem honoribus

Intami

Intaminatis ceterorum  
Agmine posthabito enitere  
Malo, inter hirsutos videas tamen  
Vepres, virenteis surgere flosculos,  
Interque communes lapillos  
Invenias Smaragdos latere.  
Da membra nœvis quæ sine, da mihi  
Nymphæ elegantis corpus & integrum  
Hoc nūquid exactū, & per omnia  
Dixeris, & maculâ carere?  
Non mille aratro iugera regio  
Te more habere, & findere sarculo  
Mādo: omnis hęc splendor, nitorque  
Exulet Attalicus bonorum.  
Non te fatiget vel Phrygius lapis,  
Vel purpurarum fidere clarior  
Emungat usus, forte parvo  
Vixeris & melius quiesces.  
Sudore nec te vivere pauperum,  
Horumque ab imis ducere spiritum  
Crudum medullis, si fatigas  
Hosce laboribus, inquieta  
lumenta non sunt, verūm homines. Deus  
Æquè hosce format maxumus. utere,  
Concessi in usum, non abusum:  
Hæc mea mens: rata sit voluntas.

C ij

Nec mos

*Nec molem in altum ducere regiam  
Demando, ab auro, siue ebore arduam:  
Sapè invidendis ignis ardor  
Postibus interitum apparavit.*

*Non tu revellas usque clientium  
Cum fraude agrorum (ignobile) terminos:*

*Ultraquè ponas limitem arva,  
Quo locuplete penu refundant*

*Stipata sudore horrea pauperum,  
Frumenti aceruo. turpe sit, & nefas.*

*Sic pauper exsul tunc peccates  
Deserere hos patrios coactus,*

*Vxorque cum parvâ sobole invocat  
Divam ultionem, quò locuples citò*

*Rapacis Orci destinetur  
Victima supplicio perenni.*

*Contenta sed tu limitibus tuis  
Partis honestè, vive: nec exeas*

*Ultra, nepotum sic futura  
Sunt patrimonia longiora.*

*Non rapta durant, siue diu manent  
Quæsita turpi partaq. fœnore:*

*Absumet hæres, prodigusque  
Dilapidabit opes nocentis.*

*Virtutis exemplo satis asperæ  
Vinas, voluptas exsulet improba*

*Libidinum.*

Libidinum, & turpes calores,  
Quidquid & obfuerit decoro.  
Sic fundum habebis fœnore diuitem,  
Spectabis & pingui Cerere horrea  
Conferta, colles & feraces  
Nectare mellifluo Lyæj.  
Interdum in alto culmine te velim  
Fessam laborum mole binulos sequi,  
Cervum aut fugacem, capreasque  
Quærere cum canibus latenteis.  
Concessa nam sunt ocia libera:  
Curasque Baccho frangere conuenit,  
Frontem explicare, & sub virentis,  
Arboribusque licet grauâtam.  
Tot publicorum pondere munerum,  
Martisque duro exercitio feri.  
Cum fracta virtus sustinere,  
Militiæ nequeat labores.  
Natis in vsum letitiæ Scyphis  
Certare nolo te famulam, ac veto:  
Morem verecundum tueri  
Proderit, & prohibere rixas.  
Humanitas te semper amabilis,  
Seueritasque in vultu alacri micans  
Cingant, & vnâ commorentur  
Quò modo cumque pedes mouebis

C iij Nam

Nam gente divâ te genitam scias,  
Antiquiori & stemmate sanguinis:  
Virtute matre, & dignitate  
Conspicuâ genitoris altâ.  
Quid multa dicam? strenua sis modò:  
Prudensque semper, tempora diuidas,  
Domique clara, interque gentes  
Vixeris egregiè remotas.  
Hæc summa. & ornamenta capeßito  
Mansura amoris, te moueant tui  
Ortus, domus, gentisque avitæ,  
Iustitiæque tuere sellam.  
Curæ sit uni ante omnia patria:  
Pugnesque ob hujus (nam sacra) gloriam:  
Et seruitutem demouere  
Cum capitis studeas periculo.  
Sordes ca veto, fœnora, & ocium  
Illiberale, & segnitiam improbam,  
Et furta, cedes, & cubile  
Alterius temerare noli.  
Hæc jussa, vestris præcipe subditis  
Qui se clientes imperii efferunt,  
Sancita nemo inde eximatur.  
Si modò civis habere nomen  
Laudatum honesti cogitet. exsulet  
Bos insolens, Centaurus & efferus,

Immunus



Immundus hircus, sus, canisque  
Porci oriundus harâ salaci,  
Qualem videmus pluribus in locis  
Virtute egentem, moribus improbis  
Majorum honestam dignitatem  
Deteriori abolere vitâ.  
His turpe habetur discere litteras  
Humaniores. opprobrio datur  
Mentem optimarum rerum ab usu  
Excoluisse rudem, & Camœnis.  
Hæc visa Majestas sacra dicere,  
Atque ordinare in concilio suo,  
Quò consulatur quàm beate  
Omnibus imperii colonis,  
Ac sicut hortos sepibus incolæ  
Commun'unt, ne candida lilia,  
Herbasve tollentes venena  
Depopulentur apri frementes;  
Sic publicarum rerum homines scias  
Illustriores præsidium velut:  
Speçtata si quos ante virtus  
Extulit emeritis in armis,  
Hinc ergò, quæ sit nobilitas, patet,  
Laudata, & unde hæc ducat originem,  
Delineatum, plura nolo  
Addere, cùm satis hoc loquatur

Divinius

Divinius mille Historijs opus  
Confertum, & exemplis peridoneis;  
ASPANGEBERGO, cujus inde  
Cernitur ingenium refertum  
Præstantiorum divite copiâ  
Rerum, seipsum lumine nobili  
Commendat, & dignus reponi  
Nobilium in numerum virorum;  
Quis nescit acri præditus ingenj  
Vi, nominandum nobilem eum virum,  
Virtute cui sit dignitatis  
Partus honos, celebre atque nomen:  
Perfecta virtus sola vocabitur  
Deducta celo, quam pietas suo  
Collustrat ornatu, hæc alumnum  
Collocat in solidos honores.  
Est vana certe hæc nobilitas, homo  
Virtutum egens si quis in imagines  
Pietas a vorum collocabit  
Præsidium, ac titulos inaneis.  
Non gaudet umbris ardua dignitas,  
Vult exprimi isthæc moribus optumis:  
Vitaque laudatâ probari  
Nobilitatis honos perennis.  
Vos altioris Teutones ordinis,  
Civesque virtutum melioribus

Donis

Donis abundantes, Magistri  
Volvitè perpetuos labores.  
Exempla virtutum hinc petite aurea,  
Legesque ducendi in melius genus  
Vestrum, hocce quæ discenda vobis  
Omnibus est SPECULO videre;  
Vos SPANGEBERGO perfacileis date,  
Cum vos ab umbris vindicet hæcenus  
Obscuriores, vosque donet  
Candidiore notâ potiri.  
Nam quos perennant historici suis  
Scriptis, in altum gloria subvehit,  
Horumque nomen non tacebunt  
Laudum avidi & tituli nepotes.  
Iam vestra gens est nobili imagine  
Ornata, Germano historico enitet,  
Ceu Phæbus in cælo minores  
Exsuperat decoratus igneis  
Ne dente Momus mordeat invido  
Curate de vobis meritum optumè:  
Dùm voce conjunctâ furores  
Obiiciunt fatui Manetis,  
Doctrinâ (testis CHRISTVS erit mihi)  
Intaminata huic curæ homini incluto,  
Quam divus in lucem LVTHERVS  
Arctolyçi domitor redûxit

D Multis

Multis sepultam temporibus patrum.  
Constat Maneten monstra teterrima  
Sparsisse, certè vindicanda,  
Supplicioque gravi expianda.  
Vos hujus insontis capitis piam  
Dijudicate ( ut relligio jubet )  
Causam, equitatis jura vincant,  
Posthabitis odiis Sinónum.  
Frui paratis historiis date  
Virum eruditum. vos precor in locum  
Hunc ordinate augustum honorum,  
Quem meruit famulus Iehova.  
Sic major accessurus honoribus  
Vestris adauctis gloria: numinis  
Et faustitas se plena Olympo  
Exseret in generosa membra.  
Tu SP ANGE BERGIó macte vir impiger:  
Non te laborum pæniteat: feres  
Optata cum applausu bonorum  
Præmia pro meritis. valeto.



Modulatum

Modulatum Seleuciæ Fago-  
rum Idib. April. Anno C. N.

CII. IC. XIC.

Revocatum denuo accuratiori limâ ad Salam  
Pridie Calend. Maſj.

Fraxineus P. C.

ERPHORDIÆ

Typis Georgij Baumannii  
excusum.



Modulatum Scholae Pogo

1711

1711

1711

1711

1711


1711

1711





VD16  
PICA





IOHANNIS FRAXINEI THY,  
ringi Poëtae Coronati Melos

In antiquissimæ ac verè Heroicæ  
Nobilitatis SPECVLVM im-  
mortale verè & illustre Opus, *non tam lectu*  
*jucundum, quàm utile, & hoc laborioso seculo, ubi omnia*  
*ruinam minantur valdè necessarium:*

*In potentissimorum Caesarum, Regum, Princi-*  
*pum, Comitum, Baronum, Auratorum equitum, aliorumque qui vel natali-*  
*um splendore, vel doctrinâ, vel virtute, vel rebus præclare gestis, sanguine*  
*& sudore ad nobilitatis apicem erecti, sempiternam decus, ho-*  
*norem, & ornamentum,*

INDVSTRIA ET LABORE PLVSQVAM HER-  
CVLEO è tribus & sexcentis auctoribus confectum  
& elaboratum, per

